

non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. Præmitto 2. certum esse, licere nobis uti opinione probabilissima. Constat ex prop. III. damnata ab Alex VIII. Non licet sequi opinionem vel inter probabilis probabilissimam. Quam propositionem docuerunt Sinichius, & Vendrochius, nec ab ea multum distare videntur Fagnanus, & Genettus, qui ad recte operandum requirunt opinionem ita certam, ut omnem omnino formidinem erroris excludat; id quod non convenit opinioni etiam probabilissimæ. His positis dico, licitum esse cuique, uti opinione probabili, probabilitate juris, formando sibi conscientiam moraliter certam de honestate actionis. Sed quo pacto hanc sibi conscientiam efformare possit, dicemus sequenti dissertatione.

EPITOME DISSERTATIONIS.

De usu moderato opinionis probabilis.

1. Compendiarie nos tradimus, quæ auctor hic docta quidem, sed proluxa dissertatione comprehendit, quam legere non sine fructu poteris. Dico igitur 1. Non licet sequi opinionem minus probabilem, cum opinio, stans pro lege, est *notabiliter*, aut *certe* probabilior. Dico, aut *certe*, quia cum opinio, favens legi, est *certe* probabilior, & sine ulla hæsitatione, non potest non esse quoque *notabiliter* probabilior. Et in eo casu opinio tutior, stricte loquendo, non erit jam dubia; sed moraliter, aut quasi mo-

raliter certa, cum pro se certum habeat de veritate fundamentum. Unde fit, ut opinio minus tuta, quæ certo fundamento caret, remaneat tenuiter, aut saltem dubie probabilis respectu tutioris: proinde imprudenter agit, qui eam amplectitur. (*) Ratio est, quia dum intellectui diserte constet, veritatem stare magis pro lege, quam pro libertate; quo pacto voluntas poterit prudenter, & sine culpa minus tutæ adhærere? Certè tunc homo non proprio iudicio innixus ageret, sed potius violentiam quandam intellectui voluntas inferret, ut ab ea parte, quæ verosimilior sibi apparet, removeretur, & in eam partem inclinaret, quæ sibi vera non apparet, imo quæ videtur certo fundamento carere veritatis. Atque huc redit illud Apostoli Rom. 14. 23. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.*

2. Dico 2. cum duæ sint opiniones adversæ, *æqualiter*, aut fere *æqualiter probabiles*, licet nobis, minus tutam amplecti. Dixi aut fere *æqualiter*, quia dum excessus est tenuis, aut dubius, pro nullo reputatur. Jam verò doctrinam hanc nostram duplici principio innixus tueri contendo: alterum est: in nostra hypothesi

(*) Non videtur in hac dissertatione constare sibi Ligorius, quod pace tanti Viri dictum sit. Ait enim primo, opinionem *certo*, & *notabiliter* probabiliozem esse moraliter, vel quasi *moraliter* certam, ita ut contraria evadat *tenuiter*, aut saltam *dubie* probabilis. Ad calcem autem dissertationis negat, opinionem probabilissimam esse moraliter certam; ejusque contrariam vocat vere, & solide probabilem. Quo pacto hæc duo inter se cohæreant, plane non video.

lex dubia non obligat, quia non est sufficienter promulgata: alterum: lex incerta nequit certam obligationem inducere; quia possessio est pro libertate. Ex his principiis reflexis potest sibi quis efformare conscientiam moraliter certam de honestate actionis, quæ ad recte operandum est omnino necessaria.

3. Veritas primi principii late probatur ab Eusebio Amort in sua Theol. Mo. To. 1. d. 2. q. 5. ponens tanquam certum, & firmum axioma, legem, quæ promulgata non est, non esse legem; non censetur autem promulgari, nisi manifestetur certo credibilior. Atque hoc pertinere ait ad providentiam Dei ut sicut Religionem suam tenetur reddere evidenter credibiliorem non ipsa, ita etiam teneatur suam legem reddere credibiliorem, ac probabiliorem non ipsa: aliter lex non intelligitur nobis sufficienter promulgata, ut nos obliget; additque, ita sensisse SS. Patres. Et revera Greg. Nazianzenus Orat. 39. de Novatiano quodam loquens ait: *An juvenibus viduis propter ætatis lubricum ineundi matrimonii potestatem facis? At Paulus hoc facere minime dubitavit, cujus scilicet te Magistrum prosteris. At hoc minime post baptismum, iniquis. Quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas, & facilitas.* S. Leo P. ep. ad Rust. in his, quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis SS. PP. inveniatur adversum. Lactantius lib. 3. Instit. *Stultissimi est hominis, præ-*

ceptis eorum velle parere, quæ utrum vera sint, an falsa, dubitatur. Totum id confirmat Aug. Serm. 294. *Quod enim contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter esse habendum.* Ergo nisi convincamur, aut certi moraliter simus de inhonestate actionis, illa nobis est permittenda. Aug. consentiunt Ambrosius, & Basilius, ille in ep. ad inquis. Januar. c. 11. hic vero ep. 188. Can. 1. c. 10.

4. Accedit S. Bernardus qui generatim loquens de rebus in utramque partem disputatis, ait ad Hugonem: *Sane ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certa rationi, aut non contemnendæ auctoritati, quod sentitur, non obviat.* Clarius S. Bonav. qui de votis, super quibus Papa dispensare possit, tres in medium adducit opiniones, & deinde concludit: *quæ istarum trium opinionum sit verior, fateor, me nescire, & satis potest quælibet sustineri. Si quis tamen velit, hanc ultimam acceptare, non occurrat ei inconveniens manifestum: Ita in 4. Dist. 38. art. 2. q. 3. Ubi S. D. non ait, præferendam esse tutiorem, sed quamlibet earum posse sustineri.*

5. Nec aliter sensit S. Antoninus p. 1. tit. 3. c. 10. Notandum, inquit, quod cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundum eam operari (secluso scandalo) quæ scilicet pars habeat pro se probabiles Doctores; dummodo talis opinio non sit contra auctoritatem expressam sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ. Nec obstat quam subdit: & quod etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitan-

dum, sed bonam sibi conscientiam, & credulitatem formet de eo, quod credit, tanquam de probabiliori parte. His enim verbis, quicquid contra reclamant Adversarii, loquitur S. Doctor de judicio practico, quod ex motivis reflexis sibi quisque formare debet, ne cum dubia conscientia operetur, ut ex tota serie capitis illius constat, ubi aperte docet: sicut in materia fidei dum Doctores sentiunt contraria, licitum est ante determinationem Ecclesie tenere unam, vel alteram partem sine periculo peccati. . . ita licet, unam opinionem in moribus tenere, cet.

6. Jam vero quod ad Thomam attinet, illum pro nobis stare extra controversiam est. Nam l. 2. q. 90. art. 1. expresse tradit; promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem. Imo ab eodem art. 4. definitur lex: quedam rationis ordinatio, ad bonum commune promulgata. Atque hoc etiam de lege naturali intelligendum ait, quam legem tunc nobis promulgatam esse dicit, cum Deus eam mentibus hominum inseruit. Hinc. Cardin. Gotti docet: ad hoc ut lex in actu secundo obliget, requiritur quidem indispensabiliter, ut subditis promulgatione proponatur. Theol. Tom. 2. Tract. 5. de leg. q. 2. Unde Joannes Gerson disertis verbis tradit, nec Deum posse obstringere homines ad observantiam sue legis, nisi hominibus eam manifestet. Ex quo recte deducit Gonetus in Clypeo Tom. 3. disp. 1. a. 3. dari posse invincibilem ignorantiam legis naturae circa ea, quae remota sunt a primis principiis, eo quod ista non sint nobis per promulgationem satis applicata. Hinc

merito scribit P. Paulus Segneri ep. 1. 54. Lex quidem non est lex, donec sufficienter promulgetur; unde Gratianus scripsit dist. 3. leges instituuntur, dum promulgantur. Non ab hoc dissentit D. Thomas. . . Quo modo igitur satis promulgata potest dici lex ea, de qua Doctores contendunt? Quandiu lex intra disputationis terminos contineatur, non est lex, sed opinio; quod si opinio tantum, non est lex: cet. Atque in hoc principio conveniunt innumeri DD. etiam Anti-Probabilistae.

7. Alterum principium, quo nostra conclusio innititur, hoc est, lex incerta non potest certam obligationem inducere, quia libertas hominis, antecedens ejus obligationem, possidet. Erit autem lex manifesta, ait S. Isidorus in Can. Erit autem d. 4. Hinc Panormitanus ait: ubi lex est dubia, excusatur quis a juris ignorantia. Videtur autem, id ratione naturali constare, neminem certo obligari ad praecipua, de quibus certo non constet, ut habetur in auctent: Quibus modis nat. ubi legitur: in dubio nullus praesumitur obligatus. Id quod non in humana tantum lege, sed etiam in Divina locum habere docet Angelicus D. 1. 2. q. 18. art. 4. ad 3. Et clarius de Ver. quaest. 17. a. 3. ubi ait: nullus ligatur per praecipuum aliquod, nisi mediante scientia illius praecipui. Et ideo ille, qui non est capax notitiae praecipui, non ligatur; nec aliquis ignorans praecipuum Dei, ligatur ad praecipuum faciendum, nisi quatenus tenetur scire praecipuum; si autem non teneatur scire, nec sciat, nullo modo ex praecipuo ligatur. Ubi praecipua habentur

da sunt illa verba ; nullus ligatur per præceptum aliquod , nisi mediante scientia illius præcepti.

8. Idem Angelicus l. 2. q. 19. art. 10. ait: *Sed in particulari nescimus (aliquando) quid Deus velit , & quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram Divinæ voluntati.* Ergo quamdiu præcepta Dei nota nobis non sunt , sed dubia , nos certe non obligant. Atque hæc est ratio , cur Doctores antiqui sæpius inculcant , neminem de gravi peccato damnandum esse , ubi lex est obscura , nec pro illa stat evidens ratio , vel Ecclesiæ , aut Scripturæ S. definitio. Audiuntur verba S. Raymundi lib. 3. de pœnit. §. 21. *Non sis pronus judicare mortalia peccata : ubi tibi non constat per certam scripturam.* Audiatur S. Anton. p. 2. tit 4. c. 5. *Si vero non potes clare percipere (Confessarius) utrum sit mortale , non videtur tunc præcipienda sententia , ut dicit Guillelmus , ut denegat propter hoc absolutionem , vel illi faciat conscientiam de mortali.* Et cum promptiora sint jura ad solvendum , quam ligandum (c. ponderet d. 1.) & melius sit Domino reddere rationem de nimia misericordia , quam de nimia severitate , ut docet Chrysost. potius est absolvendus. Quæ consentanea sunt doctrinæ D. Thomæ quod. lib. 9. ar. 10. *Omnis quæstio , in qua de mortali peccato quæritur , nisi expresse veritas habeatur , periculose determinatur.* Nec aliter sese explicant Gabriel Biel , Joannes Nyder , Gersonius , Bonaventura , & alii , quos nemo laxitatis audeat condemnare. Sed videamus , quid ab adversariis nobis objiciatur , præsertim Patutio , qui totis viribus stabilita a

nobis principia infirmare conatur.

9. Objiciunt 1. contra primum principium: *lex Divina jam tum ab æterno est promulgata , & vim habuit obligandi , ut tradit D. Thomas l. 2. q. 91. art. 1. ad. 2. alioquin non esset lex æterna.* R. eam in se ipsa æternam esse , & vim habuisse obligandi in actu 1. ut Theologi loquuntur ; attamen respectu nostri non fuit lex obligans actualiter , ut ajunt , donec fuerit proposita , & per eius cognitionem creaturis applicata. Ita docuit D. Thomas , & ei TT. omnes consentiunt : *Ad hoc ut lex , inq. Ang. virtutem obligandi obtineat , oportet , quod applicetur hominibus , qui secundum eam regulari dedit.* l. 2. q. 90. art. 2.

10. Objiciunt. 2. *lex naturalis promulgatur in habitu , cum Deus animam creat , eamque in corpus infundit , quia tunc ei lumen rationis indidit.* Ex quo Patutius colligit ; hominem lege obligari jam tum ab ipsius conceptu , citatque pro se textum D. Thomæ l. 2. q. 90 art. 4. ad. 1. *Promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso , quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.* Sed perperam verba S. Doctoris intelligit , nisi secum ipsum pugnare velit. Ait enim ibidem Angelicus : *sed ex parte Creaturæ audientis , & inspicientis non potest esse promulgatio æterna.* Imo art. 2. docet , legem naturæ nihil aliud esse nisi *lumen rationis naturalis* , quo discernimus , quid sit bonum , & malum : *Nota diligenter* , verba sunt B. Antonini , *secundum B. Thomam , quod lumen legis naturalis non ostendit homini , quæ sint bona , quousque perve-*

niatur ad usum rationis: parte 1. t. 13. c. 12. Atque ita intelligunt Dominicus Soto, Joannes Gerson, Silvius, Gonetus, Card. Gotti, & alii. Unde Hieronymus ep. ad Aglasiam. *Cum mandatum venerit, hoc est, tempus intelligentiæ appetentis bona & vitantis mala, tunc peccatum reviviscere incipit, & homo reus est peccati.*

11. Objiciunt 3. leges omnes tam Divinæ, quam humanæ, quas observare tenemur, sunt certæ, & sufficienter promulgatæ: nulla igitur restat dubitatio de legis existentia. Solum ergo dubitari potest de casibus particularibus, sintne sub lege comprehensi, an non: quapropter, si posito principio uti voluerimus, nempe quod lex dubia non potest obligare, dicere non possumus, quod lex dubia non sit lex, sed tantum dicere debemus: *cum ex utraque parte probabilis opinio habetur, quod lex ad eos casus se extendit, vel non, lex certe non se extendit.* Reddit igitur difficultas principii: ergo in dubio, an lex hunc casum comprehendat, vel non, certum est non comprehendi proindeque dubia res, & certa simul erit. R. argumentum in adversarios retorquendo: ergo in dubio, an lex ad istum casum se extendat, vel non, dicere debemus, certe se extendere, proindeque dubium esse, & non esse dubium. Hoc sophisma facile diluet quisquis terminos quæstionis capere velit. Non itaque nos asserimus, quod lex dubia certè ad illum eventum non se extendat: dicimus tantummodo, cum dubium est, & ex utraque parte probabile, legem non comprehendere hunc, vel illum casum, respectu illius casus.

lex manet dubia, & uti dubia non obligat, eo quod non sit sufficienter promulgata. Sit exemplum: certa nobis est lex usuram prohibens; res tamen est dubia, & utrinque probabilis, talem contractum sub lege usuræ comprehendi. Quid ergo? licet lex contra usuram certe obliget; incertum tamen est, an obliget circa hunc contractum; proindeque in hoc casu lex erit dubia, quæ certam non potest inducere obligationem. Jam vero quæ contra secundum principium opponantur, breviter discutiamus.

12. Ac 1. dicunt, legis æternæ possessionem antecedere possessionem nostræ libertatis; ergo in dubiis opinio stans pro lege præferri debet. R. 1. legem Divinam, licet in se quidem æternam, respectu tamen nostri æternam non esse, nec habere rationem legis, donec nobis in tempore innotescat, ut loquuntur Theologi cum S. Thoma. R. 2. adhuc in Deo consideratam æternam legem posteriorem esse, non tempore quidem, sed *ratione* consideratione Divina de hominis libertate; prius enim a Deo consideratur homo in mente Divina tanquam liber, quam consideretur æterna lex, qua ligandus erat. Exempli gratia: Deus ab æterno prohibuit homicidium: ergo *prioritate rationis* Deus consideravit homines, qui interfici possent, & postea dedit eis præceptum, ne alter alterum interficeret. Quæ doctrinæ consonat D. Thomæ dicenti: *sic igitur æternus Divinæ legis conceptus habet rationem legis æternæ secundum quod a Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum.* l. 2. q. 91. a. 1.

13. Instas: ergo homo nascitur liber, & a Deo independens. Nego id omnino. Homo nascitur potestati Divinæ subjectus, & consequenter obligatus ad obediendum præceptis omnibus, quæ Deus illi imposuerit. Verum homo iis præceptis ligatus non intelligitur, donec ipsi promulgentur & innotescant per lumen rationis. Ergo donec præceptum manifestum ipsi non sit, possidet jura libertatis, sibi a Deo donatæ, quæ libertas cum sit certa, non nisi a lege certa obstringi potest. Falsum est autem, quod adversarii autumant, nihil posse fieri ab homine, nisi certo sciat, id sibi a Deo permissum. Aliter opus non fuisset promulgatione legis, sed satis erat, ut Deus declarasset ea omnia, quæ nobis fieri permittebat. Contra autem se res habuit; nam Deus hominem liberum creavit, & postea libertatem ejus certis præceptis ligavit.

14. Dicunt iterum: nihil homini fas est, nisi quod est conforme voluntati Divinæ. R. Gonet ex S. Thoma: homo non tenetur conformari voluntati Divinæ in *volito materiali*, nisi quando voluntas Divina nobis præcepto, vel prohibitione manifestatur. Sæpe enim, ait Angelicus, *in particulari nescimus, quid Deus velit, & quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram Divinæ voluntati*. Et alibi docet, legem esse mensuram, qua homo mensurare se debet, quæ *mensura debet esse certissima*; proindeque de mente Doctoris Angelici dubitari non potest.

15. Opponunt nobis illud axioma: *in dubiis*

tutior pars est eligenda. R. eam regulam loqui de dubiis practicis, & facti, sed non de dubiis speculative, & Juris. Ita interpretantur S. Antoninus, Bonavent., Gerson, Nyder, Soto, & communiter TT. Immo si stricte intelligatur, oportebit, damnatum Tutorismum amplecti. Neque nobis obstat textus ille Script. Eccl. 3. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Unde, inquiunt, qui cum opinione probabili operatur, exponit se periculo transgrediendi legem, adeoque periculo peccandi: ergo reus est peccati.

16. R. 1. adversarios æquivocatione laborare: quando lex est incerta, aliud est periculum transgrediendi legem, aliud peccandi periculum. Qui opinione æque probabili utitur, principio reflexo, eoque certo innixus, exponit quidem se periculo transgrediendi legem *materialiter*, si nempe falsa sit ipsius opinio, sed non se committit periculo peccandi, saltem *formaliter*. Et est ratio, quia per principia reflexa efformat sibi conscientiam moraliter certam, excludentem omnem formidinem peccati. Quod si id locum non habet in opinione æque probabili, nec habebit locum in opinione probabilissima, quæ non excludit opinionem vere probabilem, proindeque non excludit formidinem prudentem transgressionis legis. Quid igitur hoc aliud est, quam incidere in rigidum Tutorismum, ab Ecclesia proscriptum?

17. Dicunt: opinio probabilissima excludit formidinem moralem opinionis oppositæ, proinde que est moraliter certa, quod satis est, ut licite cum ea operemur. Verum id gratis omni-

no dicunt: opinio enim probabilissimæ opposita, de qua loquimur, non est opinio tenuiter probabilis, cum tenuis probabilitas non sit vere, ac proprie probabilitas: ergo est opinio vere, & solide probabilis, licet minus quam ejus contraria. Quo modo igitur qui adhæret probabilissimæ, potest sibi dictamen certum effingere de certitudine suæ opinionis, cum contraria verosimilis sit, & quidem probabiliter vera? Aut unde sibi comparet stateram, in qua tantum sit pondus probabilitatis unius, ut aliam ab omni pondere probabilitatis excludat, ita ut opinio, quæ seorsim spectata verè sit probabilis, comparate ad probabilissimam, minus tutam, reddatur re ipsa improbabilis? Hæc quidem facile affirmantur, sed non ita facile demonstrantur.

18. Cætera, quæ adversus sententiã de opinione æque probabili magno verborum apparatu solent objicere Anti-Probabilistæ, dissoluta inveniẽs apud Auctorem. A quo utilis appendix habetur circa damnationem quarundam Thesium, agentium de probabilissimo, unde probare contendunt adversarii, sententiã nostram esse damnatã, adeoque defendi ulterius non posse. Respondet Ligorius, eas theses damnatas fuisse, non tamen singulas nominatim, sed in globo, & acervatim sumptas, eo quod in folio proscripto aliquæ continerentur propositiones, censura dignæ. Ita expressit Episcopus Tridentinus, qui primus theses illas contexit. Ita mihi declararunt, sequitur Ligorius, S. Inquisitionis Consultores duo, scilicet Thomas

Aug. Richini, S. Palatii Magister, & Pius Thomas Schiara, Indicis Secretarius, utrisque ad me respondentibus, in Decreto S. Cong. minime fuisse vetitum Probabilissimum nec quoad primam, nec quoad 2. nec quoad 3. propositionem de opinione minus probabili pro libertate. Ita demum declaravit in Epist. ad me data Card. Galli, Major Pœnitentiarius, firmiter asseverans, in eã proscriptiõis sententiã nihil omnino actum esse contra aliquam ex opinionibus, quæ in Catholicis scholis agitantur.

(*) Placet hic subjicere verba Roncaglie Tract. 4. de Act. hum. c. 2. "Probabiliora sequenda docuit me meus præceptor, & pariter ego pluribus abhinc annis eandem docui sententiã; at experimento vidi, nihil ad praxim deservire. Quis enim vel studendo, & præcipue, dum audit Confessiones, potest omnia momenta utriusque partis librare, & inde definire: hoc est minus probabile? Hoc est novus intolerabile? satis mihi fuit in praxi, sequi sententiã, quas rationabili fundamento innixas putavi, & ita credidi, satisfacisse meæ conscientiæ absque eo, quod judicem me constituerem inter minus probabilem, & magis probabilem."